DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

HYDROPE UTERI GRAVIDI,

QUAM
DEO CLEMENTER JUVANTE
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,
PHIL. MED. ET CHIR. D. HUJUSQUE ET ANAT. P. P. O.
MEDIC. AULIC. WIRTEMB. FAC. MED. SEN.
PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM
PIE COLENDO,

PRO
GRADU DOCTORIS IN MEDICINA
A. D. DEC. 1761.
H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR ET RESPONDENS
GEORG. BERNHARD. BILFINGER,
Gœppinga-Reichenbacensis.



TUBINGÆ,
TYPIS JO. AD. SIGMUNDI.

HORATIUS l. 2. Od. 2. canit:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
corpore languor.



Q. D. B. Q.

Curriculo vitæ meæ Academicæ ad finem properante Jussui & Legibus Gratiosæ Facultatis Medicæ obsequens, ante valedictionem pro Licentia summos in Arte Medica consequendi honores publico discursu ac defensione Thesium Medicarum demerenda, præsens selegi Thema de Hydrope Uteri Gravidi, rariorem & magni momenti affectum, difficilis Diagnoseos & ancipitis Curationis; sæpius enim alios simulat affectus, ut non solum obstetricibus sed & peritis nonnunquam imponat Medicis, quibus tunc sero in mentem venit cautio illa practica, quam HEURNIUS Hipp. aph. 37. Sect. 5. addidit de notis abortus, hisce usus verbis: Admonet nos Hippocrates hoc aphorismo, ut caute Medicinam faciamus, ne in calumniam trahamur: Quasi dicat, ubi notæ hæ in gravida appareant, vide, ne quid remedii præscribas, unde quis existimet, te abortum promovisse, qui jam sponte naturæ eveniet. Quamvis igitur hoc thema multis obscuritatibus prematur, nihilominus me non plane deterruit, quo minus ipsi eruendo pro viribus operam impenderem & B.L. ideo magis serena fronte hasce pagellas accipiet, & amice, quæ irrepserunt, emendabit Vitia. TE vero, Clementissime Deus, præfando supplex veneror atque precor, Velis Summa Tua Potentia adesse benignissime omniaque ad Tuam Gloriam, ægrotantium autem Salutem & Solatium convertere.





§. 1.

Corporis nostri humores concurrente vitio meatuum è propriis suis, & a natura constitutis canalibus atque receptaculis elapsi, inque alienis, tanquam propriis hospitantes atque oberrantes, varia in œconomia animali producunt vitia; sic *Sanguinis* è suis vasis egressi errorem videmus in sugillatione, exanthematibus, tumoribus inflammatoriis, hæmorrhagiis internis, furunculo, anevrismate spurio &c. Ab effusione *bilis* oriuntur febres biliosæ, (quæ iterum in primis viis varia causantur incommoda,) icterus &c. *Lympha* extravasata inque cavis accumulata generat pustulas, bullas, levcophlegmatiam, chlorosin, œdemata, hydropem &c. Pariter etiam omnes reliqui humores cancellis suis egressi pro ratione indolis suæ peccant & varios producunt morbos: Uti autem hæc vitia sunt diversa ratione humoris effusi, sic etiam differunt ratione loci, ubi commoratur humor, indeque etiam istæ aberrationes varia sua sortiuntur nomina partim nempe a materia partim a loco commorationis.

§. 2. Hæc inter vitia, ubi humores delirant, referimus hydropem, haud minoris momenti affectum, cum nobiliorum viscerum læsiones vel comitetur vel eadem ipsa occupet; indiscriminatim enim reperitur in omnibus partibus, mollioribus atque cavitatibus corporis humanis, ergo & in utero, quoniam autem specialis hicce hydropis casus rubro dissertationis nostræ inscribitur, proposito nostro ut satisfiat, ulterius enucleandus erit.

§. 3. Hydrops, plenitudinis morbus, est qualiscunque illuvies seroso-lymphatica ab impedito lymphæ per vasa lymphatica recursu maxime oriunda. Accumulatur autem humor ille seroso-lymphaticus vel in ipsa partium substantia earumque interstitiis cellulosis, vel in cava corporis peculiaria majora minorave effunditur. Hinc præcipuæ illius species sunt a) *Hydrops anasarca*, Gallis hydropisie par infiltration dictus, b) *hydrops ad cava*, Gallis hydropisie par epanchement. Quoniam

niam vero cava, in quibus colligitur latex iste vel naturalia sunt, vel præternaturali modo demum efformantur, hydrops ad cava iterum subdividendus est in a) hydropem ad cava simplicem & b) hydropem saccatum s. cysticum. Cæterum exinde porro patet, hydropem commode neutiquam referri posse ad tumores quoniam adeo dantur hydropes plane nullam intumescentiam habentes conjunctam, ut sunt non modo nascentes s. in primo gradu constituti, verum etiam jam confirmati, ut pectoris hydrops. Præterea non dividitur quidem sed distinguitur a) in universalem, b) particularem, & particularis tot sunt subpartitiones, quot sunt partes, quæ hoc malo infestantur. Ita hydropes particulares sunt ascites, modo dictus hydrops pectoris, pericardii, hydrocephalus in - externus, quorum illum diluvium Cerebrinum dicunt, hydrops medullæ Spinalis, hydrops uteri &c. Ex dictis vero pariter planum est, *tympaniten*, vi vocis etiam male annumerari hydropicis malis licet cum statu hydropico, ut plurimum conjunctus sit. Expedit autem sane morbos in se diversos a se invicem æque sollicite distinguere ac morborum causas & Symptomata. Sed Tympanites vel solus existit, vel ubi comes hydropis est, hujus vel causa, vel effectus vel alio modo concurrens morbus est.

§. 4. Est igitur hydrops uteri gravidi illuvies serosolymphatica in utero subnata & graviditatem subsequens. Omnis enim graviditas præexistit in utero & hydrops ipsi jungitur, nec ulla conceptio fieri potest in utero hydropico, quoniam orificium uteri clausum est; aquæ enim, isto hicante, effluerent & mulier ab aquis exoneraretur, & quæ non excipiunt non concipiunt, atqui in matrice aquis referta nihil excipi potest, ergo nec concipi: Et HIPPOCRATES aph. 62. Sect. 5. dicit: Mulieres, quæ præhumido sunt utero, non concipiunt, nam iis genitale semen extinguitur, dum aquis immiscetur adeoque corrumpitur, porro etiam nulla conceptio fieri potest hydrope præexistente in utero, quoniam tunc sanguificatio est læsa & embryo nullum laudabile & genio suo adaptatum nutrimentium haurire potest; Et MAURICEAU in tractatu de morb.

 mul.



mul. gravid. dicit: *Il faut observer, qui l'hydropsie de la Matrice succede bien quelque fois á la generation de l'enfant, & qu'au contraire la generation de l'enfant ne se peut jamais faire en la Matrice hydropique.*

§. 5. Cum hydrops uteri sæpius alium mentiatur affectum, multi de veri hydropis uteri possibilitate atque existentia dubitare cœperunt & potissimum de hydrope uteri non gravidi; Varias igitur proferunt objectiones; Dicunt enim 1) orificium uteri non est clausum, ut aqua intra cavitatem uteri colligi possit.

2) Menstrua effluere hujuscemodi hydropicis, ergo & aquam, illis tenuiorem, & proinde nullum generari posse hydropicam illuviem.

3) Nulla adesse vasa lymphatica in utero, ex queîs, tanquam fonte, provenire posset hydrops. Ut igitur hisce dubiis obviam eamus, necesse erit, ut tam a prori quam a posteriori de possibilitate atque existentia hydropis uteri in medium proferamus argumenta.

§. 6. Ad primum dubium, quod nempe orificium uteri non claudatur, ut aqua intra cavitatem uteri colligi possit, respodemus orificium matricis in statu quidem naturali non occludi, sed ejus tantum labia connivere, nihilominus tamen apta esse ad retinendam aquam, uti labris oris retinere possumus aquam exceptam: In statu autem præternaturali varias illi accidere mutationes, ut ejus rima obstruatnr & excernendis purgamenis via præcludatur consequenter & aquis præternaturaliter accumulatis: Exemplo nobis sunt Atretæ, quibus nonnunquam os uteri internum obseptum est idque vel membranæ plus minus duræ interventu vel carnearum fibrarum coalitu, & apud Edimburgenses III. p. 317. legimus, os uteri connatum fuisse, ut oportuerit parturienti cultro aperiri: Docent quoque Observationes os uteri a callo, Sarcomate, Scirrho, tumore inflammatorio, quin & a mola, indurari, obsideri atque obstrui, ut neque exitus neque introitus materiæ contentæ aut excipiendæ pateat; Sic scribit BIERLING. E. N. C. Dec. I. ann. II. obs. 208. in sterili fartum & clausum fuisse orificium

ficium uteri, & SCHENCKIUS l. 4. obs. med. obs. 220. refert caussam, quo minus aqua ex utero in quadam hydropica effluere potuerit, fuisse mirabilem quendam tumorem in interna orificii uterini parte, qua se in cervicem recludit, eumque adnatum in orbem glandulosum atque rotundum, sed per Zonas distinctum, similem plane fructui, qui malum vocatur aureum, os uteri ita arcte claudentem, ne qua pateret aquæ exitus, apertum novacula evomuisse materiam albam, tenacem & glutinis instar concretam. Et quoniam orificium uteri gravidi est clausum, uterus gravidus aptior est hydropi generando, quam non prægnans, præsertim si fœtus jam incrementum aliquod ceperit, ut orificium internum quasi obtegat.

§. 7. Ad secundum dubium quod attinet, quod nempe tales mulieres hydropicæ menstrua sua solvant, & proinde hydrops in utero foveri nequeat, id quidem in totum negari nequit, sed quod eàdem proportione, quantitate & qualitate istis erumpant, negatur; nam aut sunt solitis parciora & deteriora aut plura uti Hipp. l. 1. de morb. mul. dixit, quibus fit hydrops in utero, his menses fiunt pauciores ac deteriores & per longius tempus, & pauciores. quam oportet, aut paulo plures: Deteriores dicuntur, quando loturam carnium referunt, aut si dicere licet hujuscemodi mulierculis fluere quandam aquam sanguinolentam, quæ menstruas æmuletur purgationes, genuina autem menstrua non esse, quod sint corrupta, nec stato certo tempore redeant suumque servent ordinem. Nec opus est apertura orificii uteri erumpentibus menstruis, præsertim si sunt parco proventu, nam tunc ex venis, quæ cervicem uteri perreptant, proveniunt, nec ex venis in cavitatem uteri hiantibus & sic aqua inclusa remanet utero: Nec hydropem impedit menstrua purgatio nec experientiæ contrariatur aqua enim pariter colligi potest uti sanguis menstruus in suis vasis, & una cum menstruis satis magna quantitate ejici, sic notat FERNELIUS Pathol. l. 6. c. 15. mulierem quandam hydrope uteri correptam, quoties appetiisset menstrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profudisse: pel-



pelvesque 6. aut 7. implevisse aqua citrina ferventissima, dum venter totus subsideret. Mox dein menses |fuisse insecutos ex naturæ præscripto; Collectam proximo mense parem colluviem stato dein tempore profluxisse. Tandem persanatam gestasse utero & peperisse fœtum bene vitalem.

§. 8. Tertium dubium movere solent vasa lymphatica, quoniam in utero non prægnante visus aciem effugiunt; Eorum autem præsentiam dictitat tam ratio quam experientia: Ratio postulat, ut sanguis refluus per venas uterinas affluxu lymphæ diluatur aptiorque reddatur motui progressivo, atque eo magis necessaria est lympha sanguini venoso uteri, quia venæ carent valvulis adeoque facile obstructio in iis generari posset, nisi fluidiori liquido sanguis dilueretur: GUALTERUS CHARLETONUS in Inquis. Phys. med. cap. 5. dicit: Uteri fibrarum & vasculorum reticulari substantiæ passim interseruntur glandulæ, quædam exilissimæ a Malpyhgio descriptæ, quarum officium est tenuiorem & ab uteri nutritione superfluam succi nutritii partem secernere moxque in lymphæ ductuum amandare canaliculos, ut in sanguinem transferantur. Vasa lymphatica in gravida vidit MORGAGNUS Adv. IV. p. 76. idque eo facilius ipsi observare contigit, quoniam vasa in utero virgineo invisibilia, nunc in prægnante calamum scriptorium referunt, aut digitum fere præsertim in fundo admittunt. Vasa quoque lymphatica utero concedit WINSLOW. Exposition anatomique n. 623. Et MERYUS vidit ista in omnibus partibus generationis apud la MOTTE des accouchemens p. 101. Et CL. GRAUEL de superfœtatione p. 11. dicit: Vasa lymphatica maxime in ea, quam a peritoneo accipit uterus, membrana sunt conspicua.

§. 9. His igitur positis non amplius dubitari poterit de possibilitate hydropis uterini, præsertim cum fabrica & structura ejus id permittant; nam fibrarum, quibus intertexitur, beneficio munere suo fungitur uterus, atque ita comparatus est, ut & ipse in ampliorem molem extendi & intertexta eidem vasa extensioni ejus possint obsequi: vid. BERGERI Physiol. L. II. c. 1. Hinc facile se dilatare patitur ab hydrope

uti

uti a fœtu concepto, nam, hydrope perſiſtente, continuus humorum adeſt affluxus tam ab arteriis ſpermaticis, quam hypogaſtricis, in varios ramulos deſinentibus ejusque ſubſtantiam perreptantibus, refluxus autem ſufflaminatur & exitus aquis denegatur, ergo non poteſt non illuvies ſeroſo-lymphatica accumulari.

§. 10. Exiſtentiam hydropis uterini exempla hydropicarum probant ab Authoribus paſſim annotata, & quæ partim in vivis, partim in defunctis ſubjectis viderunt. Sic ſcribit VESALIUS l. 6. c. 9. de hum. corp. fabr. expertam fuiſſe Auguſtæ fœminam textricem, uterino hydrope laborantem, & effluxiſſe ex cavitate matricis ſupra 60. menſuras Auguſtanas aquæ ſeroſæ, quarum quælibet tres libras ponderârit. SCHURIGIUS Embryolog. hiſtorico-med. refert: Quæſtoris cujusdam uxor gravida hydropem uteri incurrebat, tanto quidem cum tumore, ut ad mammas usque is ſe extenderet & abdomen ruptionem minaretur. Tandem gemellos pariebat, unum vivum, alterum mortuum, prodibatque aqua cum impetu ad 24. libras. Narrat JACOBUS de partibus comm. ad l. 3. Avicen. generoſam quandam fœminam habitam fuiſſe pro gravida, etiam a doctis & peritis Medicis. Cumque jam inſtitiſſet pariendi tempus, fuiſſetque accerſita obſtetrix, ſimul & rogati compatres, loco fœtus multam aquam per pudendum reddidiſſe, illicoque ventrem prorſus detumuiſſe. His haud immerito addimus, quod trito circumfertur adagio: Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. MAURICEAU *dans ſont traité des malad. de femm. groſſes.* dicit: *J'ay vû un exemple bien plus extraordinaire touchant ces hydropiſies de matrice avec enfant en la femme de Monſieur Boileau mon Confrere, laquelle étant groſſe de trois mois & demi ſeulement, vuida tout d'un coup par ſa matrice plus d'un demi-ſeptier d'eau, avec des douleurs de ventre durant quatre jours, qui la mirent en grand danger d'avorter, nonobſtant quoi je l'ay accouchée au terme de neuf mois de ce meme enfant vivant, qui eſt un garçon très fort & robuſte, dont les membranes des eaux étoient auſſi tres ſaines & entieres.*



§. 11. Variæ dantur hydropis uteri differentiæ; nam vel est in cavitate uteri, vel intra substantiam, vel in utraque simul scil. cavitate & substantia. Aut aquæ in cavitate uteri stagnantes iterum sunt inclusæ propriis membranis aut tantum ab orificio uteri occluso retinentur, uti MAURICEAU l. c. dicit: Si aquæ aliunde veniunt in uterum, nullis involvuntur membranis & effluunt, quam primum orificium uteri aperitur; sin autem in utero ipso generantur, sæpius propriis velamentis continentur & eo difficilius ex utero prodeunt. Aut hydrops solus occupat uterinam cavitatem, aut cum fœtu sive vivo sive mortuo, aut cum mola vel alia excrescentia carnosa. Nonnumquam quoque accedit tympanites & flatus aquis immixti sunt. Differt etiam ab hydrope reliquarum partium genitalium, nempe ab hydrope ovarii, tubæ fallopianæ & partium pudendarum.

§. 12. Peculiaris adhuc differentia intercedit inter hydropem uteri & aquas spurias, gravidas nonnunquam supervenientes: Includuntur enim aquæ spuriæ velamentis placentæ implantatis, distinctis ab illis, quæ fœtum adhuc retinent, nam, si post partum extracta placenta sollicite inspicitur, observatur, istam massam quandam carneo-spongiosam, informem, a vera placenta, interstitio membranoso separatam immo duas distinctas membranas possidentem, adhærentem habere, uti id in placenta gemellorum observare licet, exinde concluditur, ab initio imprægnationis, adfuisse gemellos, unum autem mox obiisse, illæ-sis cæterum membranis & placenta, ut aquæ augeri possent, fœtum autem firmiorem factum, seque jam fortius moventem ob nimis angustum spatium cavitatis & minorem resistentiam ab aquis, velamenta hæc rupisse & cum fragore tunc aquas spurias effluxisse. Plura de his vid. apud PETR. STUART in Dissertat. de secundinis salutiferis æque ac nocivis.

§. 13. Ad signa pathognomonica hujuscemodi hydropis quod attinet, difficulter eruuntur; Nam sæpius mentitur vel ascitem, vel graviditatem, vel molam: Difficilior adhuc est diagno-

diagnosis, quando graviditas & hydrops in utero concurrunt; Cum vero unum quodque peculiaribus nitatur signis, cujusque signa prius exponenda erunt, ut concludere possimus, hydropem graviditati se junxisse.

§. 14. Hydrops uteri pariter se prodit tumore abdominis, uti ascites, hac autem distinctione, quod nulla prementis digiti vestigia admittat; In hydrope enim uteri musculi abdominales plus tensionis acquirunt ab aquis uterum distendentibus, quam ab ascite; & adest tumor œdematosus pedum ob pressionem vasorum iliacorum subjacentium: Porro etiam se distinguit abs Tympanite, quod in hac abdomen pressum dolet.

§. 15. Haud exiguum signum Diagnosticon præbent mammæ, quarum inspectione cognoscere licet, quomodo uterus valeat; sororiantes enim mammæ tempore pubertatis intimum cum utero arguunt consensum ob communionem vasorum: Hinc in hydrope uteri observantur flaccidæ, molles, collapsæ, pendulæ, pallidæ, nec lympham lacteis striis distinctam fundunt, ob discrasiam viscerum Sanguificorum & exinde resultantem defectum boni atque laudabilis sanguinis: Porro etiam ex fluxu menstruo concludere licet ad hydropem hystericum; Menstrua enim vel plane deficiunt aut si adsunt, pauciora sunt & deteriora instar loturæ carnium: Hipp. l. II. de morb. mul. dicit, si aqua interius in utero fiat, menses prodeunt arenosi, & aquosi & non valde cruenti, hoc si fiat, nempe quod humor seroso-lymphaticus sanguini menstruo admixtus ex genitalibus effluat, id signum maximi est ponderis, nî certissimum. De Supressione mensium WEDELIUS amœnit. Mat. Med. p. 404. dicit: Quandocunque menses in conjugatis cessant, hoc indicium commune est imprægnationis & cæteris paribus sufficiens, ut molam adesse, vel hydropem uteri non temere arguat, unde toto die abortiones fiunt deceptis medicis.

§. 16. Orificium uteri internum pariter diagnosin quandam præbere potest, quando digito obstetricis tangitur; sentitur enim, uti Hipp. ait, gracile, molle, & humidum: Gra-



cile apparet, quia dilatato atque distento utero sursum retrahitur arcteque stringitur, molle vero atque humidum, quia aquis, quæ in cavitate uteri continentur, irrigatur. Hoc autem signum tantum valet de iis, quæ demum aliquot menses conceperunt, nam gravidis ultimis mensibus idem accidit, ut orificium uteri internum sensim sensimque mollius appareat, & copiosus secernatur mucus, ita ut in quibusdam in terram depluat atque fluorem album mentiatur, sed hic tantummodo hujus muci consistentia est consideranda, an sit magis crassus, tenax, aut liquidior naturali: Cel. ROEDERER art. obstr. §. 165. dicit de signis partus instantis: Nono tandem mense mucus secernitur copiosior, crassior & viscidior.

§. 17. Hydrops uteri quoque cognoscitur ex dolore partium contiguarum, sic tales mulierculæ dolorem sentiunt in vesica urinaria atque intestino recto, quod uterus has inter partes delitescit, adeoque eas, quando incrementum capit, insigniter premit: Ab urethra pressa & ab impedito urinæ effluxu dolorem sentiunt in regione pubis, earumque urina est satis rubicunda ob nimis diuturnam retentionem, & admodum parco proventu, cum tamen in gravidis observetur citrina & sæpius ad mingendum exstimulentur; Ad ipsos ureteres & renes nonnunquam dolor se extendit. A pressione intestini recti oritur dolor ab impedito progressu & excretione fæcum; Nam hic magis adstricta est alvus, quam in Ascite, ubi laxior observatur. Pariter ad signa hydropis uteri pertinet dolor partium genitalium externarum, quod ob communicationem & consensum vasorum & nervorum facile afficiuntur, tenduntur & condolent: Sic nobis exemplum hujusce modi hydropis labiorum pudendorum cum hujus affectus cura reliquit Cel. MAURICEAU l. c. ubi dicit: *La Matrice est quelque fois si pleine d'humidités, qu'elle en regorge jusque sur les parties exterieures & principalemrnt sur celles, qui lui sont voisines, comme sur les levres de la partie honteuse.* Et WEDELIUS, referente SCHULZIO in tract. de morb. mul. & inf. p. 54. §. 92. observat, sibi visam mulierem gravidam peculiari pudendi hydrope & quidem partes tantum externas occupante laborantem, ita ut se-

ctio

ctio per lancettam necessaria esset, subsequente quidem lactis defectu, matre tamen fœtuque conservatis.

§. 18. Hæc de signis hydropis uteri, nunc de signis graviditatis. Ista quamvis ante tertium mensem tantum sint probabilia criteria, attamen simul sumta certitudinem afferunt: Sunt autem ista signa, non omissis communibus & cuique matri familiâs cognitis, ut nausea, vomitus &c. Orificii uterini descensus, tumor mammarum, menstruorum suppressio, præsertim si continua existit: Quando igitur hæc signa in muliere de prehendimus, istam gravidam esse & quidem haud ultra tres menses concepisse cognoscimus; Quapropter si his signis accedat tumor abdominis major & inflatio uteri subita, quam incrementum fœtus exposcit, certo concludere possumus de præsentia hydropis in utero gravido, uterus enim prægnans demum post tertium mensem extra pelvim eminet, crescit, abdomen expandit, multo magis id nos confirmare videtur de conceptione & hydrope in utero concurrente, quando tumor mammarum crescit inque iis lympha lacteis striis distinguitur, cum hæc de vita embryonis testentur: Monet enim Hipp. aph. 52. Sect. 5. Si cui mulieri gravidæ lactis copia è mammis profluat, infirmum esse fœtum significat, sin autem solidæ succique plenæ fuerint mammæ, saniorem esse fœtum, significat, & HEURNIUS in explicat. hujus aphor. n. 2. dicit: Non extenuatæ, nec flaccidæ, nec distentæ, ita nec inopia alimenti nec imbecilli fœtus notas edent. Sint turgidiores, quam erant cum non gestaret adhuc utero, nec sint flaccidiores, quam cum non gestaret utero. Hæc HEURNII explicatio id confirmare videtur, quod supra de signo a mammis desumto diximus, nempe quod tunc temporis solus hydrops in utero absque fœtu adsit.

§. 19. Hydropem uteri gravidi dignoscimus, quando nimis cito graviditati accedit tumor œdematosus pedum & primis statim a conceptione mensibus, in sola enim graviditate ultimis demum mensibus nonnumquam oritur nec tantum capit incrementum, uti in hydrope coëxistente, sæpius enim efficit, ut cutis in malleolis rumpatur & exitum aliquem aquis inclusis concedat: Vexat hydropicas gravidas sitis

 vehe-



vehementior, gravidam non item, & magis dolorem gravativum ſentiunt in pelvi, facie ſunt lurida & magis decolorata, quam ſi bona adeſſet graviditas.

§. 20. Graviditate ad plures menſes protracta, certiores fieri poſſumus de graviditate & hydrope; Nam ſub initium mediumque ſeptimi menſis caput embryonis tactui offertur, & ſæpius aquæ e genitalibus ſine noxa ejiciuntur ob minorem reſiſtentiam & preſſionem aquarum verſus fœtum nunc firmiorem factum.

§. 21. Subjectum hujus affectus eſt uterus ejusque cavitas, potiſſimum autem tales mulieres eum experiuntur, quæ ſunt temperamenti phlegmatici & melancholici, plethoricæ, otioſæ, mœroribus aliisque anxiis mentis affectionibus expoſitæ, unde ſanguis ſpiſſeſcit atque Serum mucido - viſcoſum contrahit lentorem. Quæ abortum ſunt perpeſſæ, ultimo puerperio male tractatæ, & quando in ſella obſtetricali diutius detinentur partu abſoluto ob diuturnam retardationem placentæ, aut ſi in cubiculo nimis frigido parturiunt, aut aliis refrigerationibus externis ſunt expoſitæ, uti lotrices, quæ in lavandis linteamentis tam artus ſuperiores quam inferiores nimis refrigerant & inde ſibi congeſtiones & retroceſſiones ſanguinis efficiunt atque damnum adhuc augent, ſi iſto tempore tributum lunare ipſis ſolvendum: Porro etiam hydropem uteri experiuntur diæta ſpirituoſa utentes, febricitantes, quando intempeſtive & nimis adſtringentibus curantur. Mulieres denique menſium vitiis laborantes. Fluorem album aut Venerei quid expertæ.

§. 22. Ad cauſſas hydropis uteri gravidi nunc, ut inquirantur, devolvor. Hipp. libr. de locis in homine dicit: Uteri omnium morborum muliebrium ſunt cauſſæ. Hinc cauſſa proxima in utero eiusque vaſis erit quærenda; ſecundum definitionem ſupra datam oritur ab illuvie ſeroſo - lymphatica matricis, hinc lymphæ accumulatio proximam cauſſam conſtituit, hæc autem oritur vel a vitio vaſorum lymphaticorum vel a vitio lymphæ. Vaſorum lymphaticorum affectio eſt vel *anaſtomoſis*, ubi eorum lumina immodice

modice relaxantur, ut plus aut peregrinum quid admittant, quod non recipiant, vel *Diapedesis*, quando vasorum lymphaticorum fibræ rarefiunt & interstitia hiantia formant, quæ, textilis adinstar, lympham transudare sinunt, vel *Diæresis*, quando hæc vasa vel ob nimiam distensionem rumpuntur vel eroduntur, ut humor seroso-lymphaticus in uteri cavum depluat.

§. 23. Hæcce vitia respiciunt obstructionem vasorum lymphaticorum; Facillime enim obstructa relaxantur, dilatantur, rumpuntur, quinimmo eroduntur ob teneriorem fibrarum fabricam, si trajicienti lymphæ exitus & ulterior progressus denegatur, & magis magisque accumulatur, præcipue continuo novo a tergo accedente affluxu. Præpeditus lymphæ circulus pro caussa sua iterum agnoscit obstructionem sui ipsius canalis, quando majores, quam quos vehere potest, recepit globulos, aut in causa est obstructio venarum uterinarum, polyposæ in his venis concretiones, sanguis nimis viscidus, gummosus, tenax, major per arterias sanguinis affluxus, quam per venas refluxus hinc restagnare cogitur, & venæ debitum amittunt tonum: Sanguine stagnante crasis seu miscela ejus destruitur & partes sibi alias intime mixtæ nunc a se invicem recedunt, unde facile ratio patet, cur major oriatur secretio & accumulatio lymphæ; huic autem malo viam parare videtur ipsa graviditas, cum tempore conceptionis major sit affluxus sanguinis ad uterum & quia fœtus primis mensibus oblata nec in usum convertere nec consumere potest, non mirum, quod tunc decubitus fiat ad venas uterinas, præsertim si jam antea aliquo laborant vitio, ut atonia, & si sanguis non libere in iis progreditur: Quod a lymphæ motu retrogrado per venas & vasa lymphatica impedito accumulatio seri & per consequens hydrops oriatur, evincit LOWERUS experimento in cane instituto; si enim in vivo cane vena cava super diaphragma ligetur, canis in abdomine magna quantitate seri collecta morietur hydropicus: Eodem modo ligatis in cane venis jugularibus tota capitis regio intumescit & fit hydrocephalus.

§. 24.



§. 24. Lymphæ extravaſationem promovet quoque glandularum obſtructio, quæ fit ab humore iſtas trajiciente, quando laborat nimia ſpiſſitudine, tenacitate, lentore & craſſitie, aut ſi vaſa ſanguinem ab arteriis ſecedentem glandulis advehentia, nimis expanduntur, ut majores globulos ſanguineos admittant & ad transcolandum vehant, quod accidere ſolet nimia exæſtuatione maſſæ ſanguineæ & debilitate vaſis deferentis, ut introitus lymphæ trajiciendæ denegetur, inque ſuis vaſis ſtagnare cogatur, intercepto autem hoc lymphæ motu progreſſivo tandem in ſuis canaliculis ob valvulas interjacentes ita accumulatur, ut ultra elaterem fibrarum ſuarum diſtendantur & rumpantur, ut lympha exſtillare poſſit in uterum, ubi tunc eo melius colligitur, quod graviditate præſente orificium uteri internum eſt occluſum.

§. 25. Ad proximam quoque hydropis uteri gravidi cauſam accedere videtur plethora, (quippe graviſſimorum, qui fœminis accidunt, affectuum fœcunda mater,) ubi ſanguis nimium accumulatur in vaſis uterinis, cæterum quidem non tanto periculo extra ſtatum graviditatis, cum tales non prægnantes quovis menſe ſatis larga menſtrua excernant, quando autem iſtæ fœminæ plethoricæ concipiunt, neceſſe eſt, ut ſanguis in vaſis uteri retardetur & hydrops generetur, aut continuato tributo lunari ſuperfluum expurgetur & excernatur, uti plurima dantur exempla de gravidis, quæ nihilominus menſtrua patiuntur, proinde ſi talis purgatio intercipiatur; ſanguis vaſa nimis premit, atque a preſſione impeditur ejus circulatio, abs qua impedita etiam fit accumulatio humoris in minoribus vaſis, conſequenter quoque in lymphaticis, quia vero iſta nimiam relaxationem & diſtenſionem perferre neſciunt, reſtagnanti lymphæ poros aperiunt, ut in cavitatem uteri tranſudare poſſit ibique colligi, & matricem i hydropicam reddere.

§. 26. Ad cauſſas ſecundarias hydropis uteri referimus cachexiam, vitium primarum viarum concoctionem ſc. debilem

lem & imminutam, infarctus & indurationes viſcerum, hepatis lienis, glandularum meſaraicarum; Ex his enim partibus læſis atque obſtructis propullulat ſanguificatio læſa, quæ quaquaverſum ſeſe propagat atque extendit, inprimis autem patiuntur partes adjacentes ob communicationem vaſorum inter ſe, hinc etiam hydropi uteri gravidi facilis via paratur, quoniam eo tempore major eſt ſanguinis affluxus & quidem vitiata ob læſa vaſa hæmatopœia, neceſſe igitur, ut in vaſis uteri tortuoſis ſtagnet & propter læſam qualitatem glandulas obſtruat & lympham augeat, ut cogatur ſua vaſa deſtruere & exſtillare in uterum: Hiſce cauſis etiam annumeranda eſt febris prægreſſa & nimis intempeſtive curata, inprimis a medicamentis nimium adſtringentibus, cum iſtiusmodi adſtringentia hiſce vitiis anſam præbeant & ea ſæpius promoveant; Tonum enim fibrarum ab initio nimis augent & aſſervant, quoniam autem in hoc ſtatu perſeverare nequeunt partes, neceſſario alterari debet maſſa humorum & vaſa rumpi. Idem obſervare licet in hæmorrhagiis, quibus adſtringentium abuſus opponitur.

§. 27. Ab œdematibus hydropem quoque in uterum redundare, facile perſpicitur ex origine œdematum; Iſta enim oriuntur a preſſione uteri verſus vaſa aut quando polypus hæret in vena cava, ubi rami iliaci incipiunt, dum nempe reditus ſanguinis per venas impeditur & conſequenter partes vicinæ in conſenſum trahuntur, quoniam venæ uterinæ ſanguinem reducem in venas iliacas exonerant; His autem obſeratis, ut etiam in ipſis uterinis retardatio ſanguinis fiat & hydrops generetur, neceſſe eſt.

§. 28. Vitia menſium conceptionem præcedentia ſæpius quoque ſuum ſymbolum conferunt ad hydropem uteri, ſic in cauſſa eſt ſanguinis menſtrui vehemens effluxus ante conceptionem, qui cum ſanguinis, tum canalium uterinorum debetur vitiis, qualia ſunt ſanguinis abundantia, orgasmus, tenuitas, acritudo, motus incitatior, reditus per venas ob ſpaſmos, obſtructiones, conſtrictiones, impeditior, vaſorum debilitatio, ruptio, eroſio, hæc jam diſponunt uterum ad hy-

dropem



dropem, quando nunc accedat ingravidatio, vaſa prius debilitata, œſtro venereo adhuc accedente magis imparia redduntur promovendo humorum circulo & ſtagnationem eo lubentius admittunt ob jacturam & nimiam profuſionem ſanguinis, quas perpeſſa ſunt, ubi vaſa majora inaniuntur, inanita ſpaſmodice contrahuntur ob imminutam reſiſtentiam fluidi circulantis, & reſtitans adhuc maſſa ſanguinea contrahit viſciditatem, lentorem & ſic obſtruit vaſa, obſtructis autem vaſis majoribus minora quoque patiuntur, liquor in iſtis coacervatur ita, ut nimia diſtenſione rumpantur aut ab acrimonia liquidi contenti erodantur, unde hydropis fons. Haut minorem anſam præbere videtur defectus menſium ſeu ſuppreſſio, quam eorum nimius fluxus; utrumque enim vitium reſpicit vaſa debilia, inertia, contextum flaccidum, aut etiam ſanguificationis vitia, abs quibus varia irritamenta oriri poſſunt tam interna v. g. acrimonia, quam externa ut veneris abuſus, ſalacitas, quæ affluxum ad has partes intendunt, aut & impedimenta, quæ refluxui obſtant. Si igitur tales mulieres concipiunt, commode hydrops graviditati jungi poteſt, natura enim majorem portionem ſanguinis ad uterum mittit & diſtribuit pro nutriendo embryone, embryo allata conſumere neſcit, & vaſa ſuperfluum a nutritione ulterius promovere nequeunt, ergo oritur ſtagnatio, hæc autem usque ad vaſa minora adeoque etiam lymphatica regurgitat iſtaque ultra elaterem ipſis innatum extendit, aut quocunque modo rumpit & viam parat, ex qua lympha in cavitatem uteri rorare ipſumque uterum utriculi adinſtar aquis turgidum reddere poteſt.

§. 29. Hydrops uteri gravidi originem trahere poteſt, ex quacunque ejusdem læſione, ingravidationem præcedente, quæ vaſa uteri nimis debilitat deſtruit &c. accidere id videmus a gravi & frequenti geſtatione; a difficili & laborioſo partu prægreſſo; a contuſione, ab abortu crebriori, præſertim arte nefaria inducto & male percurato & quando vehementes hæmorrhagiæ illum tam antecedunt quam conſequuntur; A nimis diuturna retentione ſecundinarum partu jam abſoluto, orificium autem uteri ſe nimis cito occludit, ante quam extractæ

tractæ fuerint, aut si frustum placentæ ob firmiorem cohæsionem cum utero abruptum remaneat. Cel. ROEDERER art. obst. §. 360. dicit: Læsionem quoque uterus accipit, quando violenta funiculi tractione placenta avulsa educitur, orificia enim uterinorum vasorum dilacerantur, hæmorrhagia excitatur, dilacerata orificia occallescunt & insequuntur menstrua dolentia, fluor albus, hydrops uteri, sarcoma &c. Huc etiam pertinent refrigerationes ultimo puerperio inductæ, quando nempe frigus in sinum pudoris sese insinuat, vasa constringit adeoque vitium humorum circulantium inducit: De hoc extat exemplum apud CORDÆUM Comment. 3. ad l. 1. Hipp. de morb. mul. quodsi, inquit, recens enixæ uterus refrigeretur aut in eum aliquis flatus impellat & intromittatur, hujus vi sæpe numero distenditur tantopere, ut in majorem longe molem ipse nunc assurgat, quam postremis etiam graviditatis diebus: Facile refrigerantur, quando in conclavi frigidiori partum eniti & jam enixo partu sed secundinis adhuc restitantibus diutius sedili obstetricali insidere coguntur; Non solum autem hoc tempore, partu nempe enixo, a refrigeriis damna sibi contrahunt mulieres, sed etiam jam nova inchoata conceptione, quando nimirum tempore hyberno aëri libero sese exponunt, præsertim si in aqua nivali oberrant, unde facillime sibi causantur œdemata & his crescentibus tandem hydropem in utero gravido gignunt.

§. 30. Hydropis uteri gravidi caussis antecedentibus etiam annumeramus, quando in sanguine constitutio hydropica adest, aut ipse hydrops jam aliam imi ventris partem obsedit, ubi vitalis ille latex plus satis est serosus, deficiente ejus parte florida, purpurea & abundante aquosa, simulque viscida existente & hinc tardius lymphatica vasa trajiciente, cum igitur conceptione facta major accumulatio humorum in uterinis contingat vasis, non mirum lymphatica vasa ad rupturam nsque infarciri & hydropem in uterum gravidum trajicere. Facillima patet via hydropis uteri, quando unum alterumve ovarium jam hydrope est infectum. Nec immerito accusantur hydatides, quæ ruptæ hydropem efficiunt, ori-

untur



untur enim in vasis lymphaticis, quando lymphæ progressus ab obstructione quadam impeditur & lympha propter valvulas suis canalibus interjectas retrogredi nequit, ab initio repræsentant hydropem saccatum, & corpuscula quædam, vesicæ felleæ similia, utero adnascuntur, in quibus humor colligitur, donec tandem rumpantur & lympham effluere sinant.

§. 51. Denique etiam ad hydropem uteri gravidi gradum viamque parat admodum pronam suppressio Urinæ: Dicit enim Cel. D. D. MOEGLING in Tentam Semiot. p. I. p. 19. Aliâs Urinæ suppressio brevi tempore vel mortem vel hydropem producit. Quando igitur renes serum istud massæ sanguineæ superfluum atque excrementitium neque admittere possunt ob nimiam urinæ quantitatem jam restagnantem, neque propter obstructionem quamcunque trans corticem renum secerni potest, necesse est, ut serum istud ulterius cum sanguine progrediatur & tandem lymphaticis vasis infundatur, cum igitur arteriæ spermaticæ mox ab emulgentibus incipiant, iis impertitur serum hoc excrementitium inque utero deponitur, unde vasa lymphatica nimis turgida redduntur, ut dissiliant & lympham contentam in uterum evomant.

§. 32. Quot & quanta mala hydrops in utero gravido genitus tam matri quam fœtui caussari possit, eumque quo diutius protrahatur, eo magis dubii eventus esse, ex hactenus dictis jam perspici potest. Massa enim sanguinea magis magisque corrumpitur & reliquos humores ad corruptionem magis pronos reddit. Damna, quæ matri soli contingere possunt, sunt, ut hic hydrops, nisi in tempore aut removeatur aut saltem præservetur, ne nimium incrementum capiat, tandem in ascitem mutetur & reliquis in imo ventre contentis visceribus labem quandam contrahat, eaque vitiet, quam difficilis autem tunc curationis sit hydrops, ex eo perspicitur, cum non tam aquas evacuare, quam viscerum integritatem restituere ad perfectam medelam requiratur: Tales hydropicæ facillime experiuntur prolapsum

lapſum, quinimmo inverſionem uteri, quando ſe fœtu exonerant, non enim ſolum uterinæ ſubſtantiæ fibræ ſed etiam ligamenta nimis emolliuntur, relaxantur & dilatantur & tono ſuo privantur, quod vitium tunc varia iterum hiſce mulierculis affert incommoda in negotiis ſuis obeundis & varia ſymptomata periculoſa, ſi non ſtatim partes prolapſæ reponuntur, ut inflammationes, Sphacelos &c. uti idem etiam accidere ſolet, ſi nimis diu hydrops in utero perſiſtit, ut tunc prodeant, ſcirrhi, excreſcentiæ fungoſæ, ulcera, humores enim extravaſati non ſolum ſtagnatione, calore, quiete, rodentes atque acres fiunt, ſed continua maceratione & colliquatione tenera ſolida deſtruunt, ſinus & exulcerationes cancroſas difficile ſanabiles excitant, ex quibus ſterilitas propullulat.

§. 33. Oedemata, quando a genuina graviditate oriuntur nullam expoſcunt curationem, fœtu enim in lucem edito ſponte evaneſcunt & proinde etiam nihil periculi afferunt, quando autem ab extravaſatione lymphæ proveniunt, tunc facile malum ad exulcerationes ruit: Iſtæ autem exulcerationes difficilis & ancipitis ſunt curationis atque vix ac ne vix quidem curantur, uti Hipp. aph. 8. Sect. 6. dicit: quando œdemata recedunt hydropem uteri augent & malum exaſperant, tumoris œdematoſi pedum perruptio nonnumquam levamen ad tempus affert, ejus autem novum incrementum funeſtum eventum minatur. Et Cel. JUNCKER conſp. therap. ſpec. p. 714. de vaſis lymphaticis dicit, quando perrupta ſunt, illorum conſolidatio vix unquam expectari poteſt, niſi forſan in fœminis admodum robuſtis, ſub menſium revocatione aliquid ſperare liceat.

§. 34. Ad mala, quæ ex utero hydropico eodemque gravido propullulant & tam matri quam fœtui accidunt, referri debet aquarum contentarum feſtinata eruptio & abortus hanc eruptionem preſſo inſequens pede. Hipp. aph. 27. ſect. 6. In genere quidem de hydropicis monet, quid ſperare aut



metuere liceat, quicunque, dicit, empyi aut hydropici urun-tur aut ſecantur, ſi pus aut aqua univerſim i. e. confeſtim & ſemel tota effluxerit, certo moriuntur idque propterea ſub-dit GALENUS in Commento, quoniam una cum aqua & pu-re magna ſpirituum egreditur copia. Eo periculoſior autem eſt feſtinata aquarum eruptio ex gravido utero, oritur enim a nimia uteri concuſſione, & vehementiori contractione, hinc iſtas aquas ſequitur abortus, quoniam & placenta vehe-mentius commovetur ab utero, hiſce evacuatis ſeſe contra-hente, irritata autem placenta ab utero ſolvitur & ſolutione facta ejicitur.

§. 35. Melioris ſpei ſigna ſunt, ſi hydrops in minori gradu aut perſiſtit ad legitimum usque partus terminum, aut ſi durante adhuc graviditate aquæ unciatim quaſi exſtiliant, ut id nonnumquam obſervatur in hydropicis, quibus, quam diu adhuc utero gerunt, aquæ ad aliquot uncias emanant. WAGNERUS dicit in Diſſ. de hydrope uteri: Aliquando ad tempus partus legitimum ſervatur hydrops uteri & tam diu hoc laborant malo mulierculæ, donec pepererint, quo facto convaleſcunt & una cum dulciſſimo onere hoc quoque mo-leſtiſſimum deponunt onus.

§. 36. Dubii eventus prognoſticon præbet, ſitis vehe-mens, inexplebilis, præſertim ſi tales mulieres adhuc conque-runtur de nimis labefactatis viribus, talis enim ſitis indicat ar-dorem atque inflammationem partium internarum, quæ in-flammatio deficiente bono ſanguine abit in gangrænam & ſphacelum, quod præſentiſſimum mortis periculum affert. Pari modo in iis, quarum ⊡a magis craſſa & rubicunda con-ſpicitur, minor eluctandi ſpes affulget accedente inquietudi-ne, anorexia, agrypnia, quæ hecticam præſentem denotant. Alvi obſtructio omnia ſymptomata exaſperat, aquoſæ vero per illam excretiones, conſtantibus ſibi viribus, utiles ſunt, nî in diarrhœas abeant, quæ alias hydropem ſolvunt, uti

HEUR-

Heurnius dicit aph. Hipp. 15. Sect. 6. metuendum enim hîc, ne uterum nimis irritent & abortum promoveant.

§. 37. Damna, quæ fœtui ſoli accidere ſolent ab hydrope, ſunt, ut imbecillis reddatur ob defraudationem ſui genii & inopiam nutricatus, quod dependet a vitio defectus bonæ ac laudabilis ſanguificationis, ab illuvie aquarum ſæpius enecatur, & propter laxiorem cohæſionem placentæ in utero hydropico ſæpius ante legitimum partus terminum ejicitur; aqua enim contenta non uteri ſolum fibras ſed & ſecundinarum, quæ utero implantantur, ob continuam irrigationem laxas reddit, quapropter facile ab utero ſolvitur placenta & embryonis obitus acceleratur.

§. 38. Paucis hîc adhuc monendum erit, quid aquarum ſpuriarum perruptio portendat, & quid tunc obſervandum ſit, idem enim etiam valet de hydrope uteri gravidi ob ſimilitudinem caſus. Hæ aquæ ſpuriæ minus damnum afferunt, niſi quod earum poſt levem fragorem eruptio mulieribus plerumque præmaturi puerperii terrorem incutiat, cavendum autem tunc, ne obſtetrices imperitæ tempus partus inſiſtere putent & gravidas ad labores adigant, unde tum demum mala metuenda: Proinde ut certiores fiant, per tactum explorent; nam ſi ſunt aquæ veræ & genuini ad partum dolores atque niſus; orificii uterini aliquam aperturam & in pelvim deſcenſum percipient, ſin autem tangentis digiti aciem effugiat eique quaſi ſubtrahatur & conſtringatur, mulieres a niſibus dehortentur, easque admoneant, ut animo & corpore quietæ, per diætam convenientem, vires ſuas pro partu futuro feliciter abſolvendo conſervent.

§. 39. Tandem progrediendum erit ad diſquiſitionem remediorum, quæ huic morbo opponi poſſunt. Multa quidem medicamenta ſuppeditant Pharmacopœæ ſub titulo hydragogorum, pauca autem erunt, quæ in uſum vocari poterunt, cavendum enim eſt, ne in extirpando hydrope aliud producamus malum, nempe abortum diemque fœtus fatalem.



lem. MAURICEAU *dans son traité des malad. de groſſ. Femm.* dicit: *Le meilleur remede pour ces ſortes d'hydropiſies, s'il y a groſſeſſe d'enfant, eſt d'attendre avec patience l'heure de l'accouchement, obſervant cependant un regimen de vivre deſiccatif*, & JUNCKERUS Conſp. Therap. Spec. p. 981. de tumore pedum œdematoſo n. 3. dicit: præſtat graviditatis tempore hydropicos tales tumores tolerare & ſymptomatum ſaltem mitigationi inſiſtere, quam directe ipſum morbum aggredi. Hinc cura eo tantummodo dirigenda erit, ut humores mucido viſcidos corrigamus, correctos, quatenus fieri poteſt, educamus & tonum partium debilitatarum reſtituamus.

§. 40. Humorum viſciditas corrigitur medicamentis digeſtivis, reſolventibus & attenuantibus, cujus cenſus ſunt ⊖*ia media* & *alcalica fixa*: ex. gr. ☿rus ⊕̄ lat. ⊖ vegetab. arcan. 2pl. ⦶m dep. ♁iat. ⊖ abſinth. C. B. *Radices* v. g. pimp. alb. gram, ſaponar. cich. trif. fibr. *Herba* cochl. C. B. Capill. ♀ris. *Flores* acac. viol. geniſt. *Gummi-reſinæ* ♓cum. galb. heder. Junip. Digeſtis nunc humoribus addi poſſunt evacuantia, quæ ſunt lenia laxantia, parva doſi exhibita, potiſſimum huc ſpectant Syrupi e. g. flor. perſic. acac. de rhabarb. de manna, ſyr. domeſt. qui commiſceri poſſunt ▽is ſcord. cichor. endiv. cinnam. aut Pil. Stahl. Beccher. Tartareæ Bont. in uſum vocari poſſunt, parca manu exhibitæ. Pro ſiti mitiganda, de qua conqueruntur, dari poteſt in potionibus ſyr. ✝tos. Citr. berb. ceras. ✝id. Hæc purgantia excipiunt diuretica mitiora v. c. chæref. lactuc, rad. vincetox, ſem. fœnic. infus Coffée. lap. ♋. conch. citr. Mixt. ſimpl. ex regno animali peti poſſunt iſta remedia, quæ pollent ⊖e Vol. ⊡noſo e. g. millepedes, lumbr. ▽ſtres. WAGNER in diſput. de hydr. uteri ſuadet dicens: Succi naſturt. expreſſi & per ſubſidentiam depur. ſingulis ℥ IV. addi poſſunt circiter 50. millep. prius vino loti, dein contuſi, faciendo expreſſionem & colat. addendo ſyr. viol. vel capill. ♀ris ad gratiam vel addi poſſunt lumbr. 3. probe loti & contuſi, hauritur hic potus mane & veſperi ad Unc. IV. qui humores attenuat,

meatus

meatus referat & ⊡æ promovet excretionem citra fœtus damnum. Partium debilitatarum tonum roborant Ess. succin, Cort. ☉rant. R̄a Corall. ♂is cydon, liq. anod. min. F. Hoffm. R̄a ♁ii acr. R̄a ⊖li ♂is Lud. Cæterum tales hydropicæ utantur diæta evchyla cum motu corporis temperato, caveant sibi a ♒uosis & ab alimentis frigidis & aquosis.

§. 41. Coronodis loco adjicere liceat historiam anno abhinc Beyhingæ ad Neccarum, ubi Parentes mei nunc degunt, factam: Fœmina quædam 32. agens annum utero concepit, & quidem illicita cohabitatione, statuto autem tempore fœtum exclusit mortuum. Postea vero nupsit viro, & quarta post nuptias septimana peracta, enixa est embryonem, qui una cum velamentis suis, quibus adhuc inclusus erat, nucis moschatæ magnitudinem æquabat, ejusque artuum vestigia jam tuberculorum adinstar apparebant. Anno fere elapso iterum utero concepit & tres circiter menses impraegnata funeris exequias prosecuta est mense Januario, cœlo admodum pluvioso atque nebuloso. Domum redux facta suppressionem Urinæ sensit per aliquot dies, abdomen ipsi tympani adinstar intumuit & conquesta est de vehementibus doloribus; Vicinæ concurrunt, obstetrix accersitur, ægra in sella obstetricali detinetur, & multis cohortationibus ad labores partus adigitur, sed plane irrito conatu: Tandem maritus Cel. cujusdam Practici consilia petiit, qui tunc propter suppressionem urinæ & suspicionem ingravidationis tutiora & mitiora præscripsit medicamenta, quæ etiam jam aliquam urinæ portionem prolexerunt & restitutionis spem promiserunt, quod dolores non amplius tam vehementer erant. Cum autem remedia adhibita non uno quasi ictu ex ægrotantis voto morbum tollerent, reliquas eorum doses neglexit, quibus tunc neglectis brevi post symptomata redierunt, malum increvit & tandem in hydropem uteri gravidi degeneravit. Maritus nunc adit Empiricum, cujus autem medicina universalis frustra fuit adhibita, nî malum auxit: alium igitur consulit Empiricum, qui satis fortia dedit



hydragoga aliquo notabili effectu. Tandem ſecundum concubitum preſſo pede ingens aquarum quantitas ex utero erumpentium eſt inſecuta, & per aliquot dies id ipſi contigit, abdomini incumbenti; Quo facto tandem perſanata eſt illæſo cæterum fœtu, ad legitimum partus terminum perſiſtente, in limine autem partus diem ſuum obiit & propter ſitum perverſum ab aliena obſtetrice peritiore, quam indigena, ex utero extractus eſt. Mater in puerperio ob incongruam diætam decimo ſexto poſt partum die fœtum inſecuta eſt.

